

dum occurrit phænomenon, sed valde a priori differens: In speculis enim planis eadem semper distantia objecti ad speculum usque, & hujus ad illius imaginem, manet, cujuscunque etiam illa fuerint quantitatis, sive majora, sive minora; at in convexis notabile discrimen affert quantitas speculorum. Repræsentant quidem imagines etiam post speculum, inque situ erecto, verum propius semper, ac objectum a parte ipsius anteriore abest; eoque magis, quo minor sphaera, aut minoris sphaeræ segmentum illud fuerit, adeo ut tandem in ipsa speculi superficie hæerere videatur imago: quod vulgari exemplo in globulis istis argenteis vel stanneis ad vestimenta liganda adhiberi solitis, experimur. Declarabimus rem exemplo, juxta quod deinceps omnia reliqua phænomena haud difficulter concipi poterunt. Sit e. gr. in casu fig. 3. *AB* speculum ejusmodi convexum, *CD* vero objectum, quod oculus in *c d* valde propinquum videbit, atque propterea etiam minus multo vero objecto illud deprehendet.

§. V.

Convexa excipiant nunc quoque concava, quorum phænomena sicuti in omnibus proprietates habent longe mirabiliores ac prodigiis similiore reliquis; ita etiam circa locum imaginum vix satis miranda atque stupenda sistunt spectacula. Non enim ea solum præstant, quæ plana & convexa, exhibendo res ultra speculum, sed & præterea circa locum mire variant apparentiæ. Modo enim ille æquali intervallo a speculi postica parte abest, cum eo, quo objectum ab ejusdem parte antica: modo nonnihil remotius; interdum vero aliquot vicibus posterius spatium antè excedit: quandoque inter visum & speculum imago spectatur in aëre quasi volitans?

tans?